

dixit: Quippe sapientie non sum expertus: sola enim illa sui gaudet notitia, quæ sunt in seipsa conversiva. Ad hoc aquila sic arguens dixit: Quomodo igitur perditæ est tibi tante luciditatis gloriositas, tantæ prelositatis dignitas, tantæ virtualitatis casualitas, ac tantæ soliditatis perpetuitas? Ex quo namque te ignoras, in tibi nihil es, nihil siquidem prudentia est fatuo, rutilantia cæco, et eloquentia surdo. Tunc Titan respondit: Etsi nihil mihi sum, tamen ei sum, cujus sunt omnia, quod est quoddam maximum vas sapientie: ipse enim sapiens, cum solus se cognoscendo sit suus, cunctorum etiam, quæ sibi non sunt, intellectu carentium sapientia constitutus est dominus. » Rationem claram mox subiicit, atque: « Homo enim participio sapientie ejusdem (Gen. 1, 28), ex divina imagine decoratus, ab ipso primordio universis rebus mundi visibilibus est prefectus: nimirum ideo, quia sapientis sunt omnia, cui non prævalent metallorum gemmarumque validitas: quin etiam illi subsidiaria divitiarum servit potestas. Quamobrem (Prov. III, 43), pretiosior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, et non valent comparari. Quibus auditis, mox illa dilectione sapientie inflammata, pelivæ a sole ut quid ea sapientia esset, luce definitionis ostenderet. Cui libenter annuens, inquit: Sapientia quiderna est illa mentis virtus, quæ summum, quod est Deus, hinc recta conspicitur, et casta dilectione tenetur: hæc enim qui dotatus est, jam mundi est dominus, et possessor est suus. Quibus diligenter notatis, in propria gaudens illa reversa est. »

ET SUPER OMNEM DISPOSITIONEM (græce *ὑπὲρ*, id est thesis, positionem, situm, collocationem, ordinationem) STELLARUM. — Primo, a Castro exponit, q. d. Sapientia supra omnem stellarum situm est posita, celsitudine superat stellas et celos, quia sedet cum Deo in altissimo divinitatis ejus solio. Secundo, melius idem et alii explicant, q. d. Sapientia suo splendore, ordine, specie, dispositione vincit omnium stellarum splendorem, ordinem, speciem, dispositionem; unde Vatablus vertit, et omnem astrorum seriem superat, lucique comparata potior reprehenditur: nominal dispositionem stellarum, quia in earum situ et dispositione miris est ordo, miraque pulchritudo, adeo ut astrorum velut castrorum acies sit ordinata; unde vocatur *millia cæli*, et exercitus Dei *subæth.* 116. v. 20; Isai. XXIV, 24; Deuter. XVII, 3. Rursum stella dispositæ sunt in celo, ut lumina et oculi in capite: unde a poetis vocantur *Cæli* aut *Jovis oculi*.

LUCI COMPARATA INVENITUR PRIOR. — Prior tum tempore, id est anterior, quia sapientia ab æterno fuit in Deo, illique est cœva, cum lux initio mundi et temporis sit creata; tum dignitate et præstantia, unde Vatablus vertit, *potior*. De pulchritudine solis, stellarum, lucis dixi Gen. 1 et *Ecl.* XLII, 1 et seq. Hunc sensum exigit ratio, quam

subjungit. Porro *et super omnem dispositionem stellarum* pendet et necitur cum eo quod sequitur, *luci comparata invenitur prior*, q. d. Si ultræ ordinem lucemque stellarum, sapientiam compares primigenie luci, instar solis totum mundum illuminanti in ipso mundi initio, utique sapientia illa luce invenietur prior, tum tempore, tum dignitate, q. d. Si non tantum stellas, sed et luci, quæ in mundo fuit prima et maxima, sapientiam conferas, illa invenietur prior et potior.

30. ILLI ENIM SUCCEEDIT NOX, SAPIENTIAM AUTEM NON VINCIT (græce *καταρῶν*, id est prævalet, superat, circumvenit, contendit, coerces) MALITIA. — dat causam cur sapientia sit prior, id est potior et præstantior luce, non solum solis et stellarum, sed et primigenie mundi, eo quod illa instar solis se movens et gyrans per nostrum hemispherium, vespere occumberet, et transiret ad alterum adversumque mundi hemispherium, itaque ei succederet nox, ipsaque lux vorteteret in tenebras. At sapientia semper sibi constat, nec ipsa in insipientiam, aut malitiam verti potest, nec ab ea vinci. Loquitur proprie de sapientia increata Dei: hæc enim adeo potens est et provida, ut nulla malitia vinci possit, sed potius ipsa omnem malitiam hominum et dæmonum, omnem quoque rerum malitiam, id est duritiam et difficultatem, vincat sibi que subjuget. Comitantem tamen et consequenter loquitur de sapientia participata et homini infusa. esto enim ipsa recedat ab homine, qui a sapientia et sanctitate deficit, transitque ad insipientiam et malitiam: tamen ipsa in se, puta in suo fonte, manet illæsa et intacta apud Deum. Rursum ipsa homini invito et nolenti eripi nequit, quare quamdiu homo eam retinere vult, vinci nequit a malitia; hinc patet per sapientiam intelligi prudentiam, justitiam et sanctitatem: nam illi opponit malitiam, hæc enim est practica et summa insipientia.

Pro malitia græce est *κακία*, id est malitia tam culpæ, quam pœnæ, puta tam iniquitas, quam adversitas et calamitas, q. d. Nec culpa, nec pœna vel afflictio ulla vincit sapientiam Dei. Potest quoque abstractum sumi pro concreto, q. d. Malitia, id est mali et impij persequentes pios, non possunt vincere eorum sapientiam et virtutem, quamdiu eam sponte non deserunt; hinc alij legunt, in sapientiam autem non incidit malitia. Exemplum dat S. Bernardus, homil. 2 super *Mis-* sus est, Adam et Evam, Christum et Mariam: illos enim utpote insipientes vicit malitia serpentis et superbiæ; hi vero utpote sapientes vicere tam fiklorum insipientiam, quam serpentis malitiam: « Quid dicebas, inquit, o Adam, Genes. V, 13: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi? verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cum occasione veniat, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis

invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vite, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem patriæ fructus æterni. Muta ergo inique excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vite, et comedi, et dulces factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. »

Idem serm. De Septem donis Spiritus Sancti: « Sapientia, inquit, vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtus et Dei sapientia Christus, » etc.; quæ commodius cap. sequenti, vers. 1, recitabo. Idem, serm. 85 in Cant., dat causam: « Virtus, inquit, est vigor animi immobiliter stantis cum ratione; vel virtus est vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens; » et post plura subiungit: « Et si quis sapientiam virtutis amorem defuerit, non a vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor; et forte sapientia a sapore nominatur, quod virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insula quodammodo et aspera videbatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniam, Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri: ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, intecti virus serpentis antiqui, cepit anime non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. » Causam subdit: « Quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit; sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum: nam ecce denuo sapientia mulieris cor et corpus implevit, ut qui per feminam deformati in insipientiam sumus, per feminam reformemur ad sapientiam. Et nunc assidue sapientia vincit malitiam in mentibus,

ad quas intraverit, saporem mali quem illa invenit, sapore exterminans meliori. Intrans sapientia, dum sensum carnis infatam, purificat intellectum cordis, palatum sanat et reparat. »

Porro S. Bonaventura in *Speculo*, cap. III: « Quidam, inquit, legunt hic prior, quidam prior: utrumque Mariæ stellæ nostræ competit, Mariæ enim est prior, id est potior, sive dignior; Mariæ etiam prior est sole et stellis et luce, quia tam dignitate, quam puritate solem et stellas et omnem lucem superat corporalem, imo etiam spirituales, id est angelicam creaturam, de qua dicitur, Gen. 1, 4: *Divisit Deus lucem a tenebris*, id est angelos stantes a cadentibus. Hæc utriusque lucis angelis prior et purior est Mariæ: prior dignitate, et purior sanctitate. Unde Anselmus exclamans ait: O benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate: hæc Bonaventura. Quocirca S. Ephrem, orat. De *Deipara*, agens de ea: « O omnibus, inquit, superis exercitiis gloriosior, omnium sanctorum ac virginum coram ob fulgorem inaccessa, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella. Per te reconciliati sumus Deo meo. »

Tropologicæ, lux, imo sol, suos patitur defectus, modo enim exultat ut gigas fulgida radiorum cessare coronatus; modo vero laborat ut Hercules, cæca caligine circumfusus: at sapientia, id est virtus, invicta inter adversa quælibet, sibi que similis perstat. Audi Tertullianum, lib. De *Spectac.* cap. xxx: « Vis et pugilatus et luctatus? præsto sunt non parva, sed multa. Aspice impudicitiam devictam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sevitiæ a misericordia contusam, petulantiam a modestia umbratam; et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et sanguis aliquid? habes Christi. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare sapientiam, ejusque dotes et commoda maxima plurimamque recensere, ob quæ Salomon se eam in sponsam delevisse, et summis votis expetivisse asserit.

1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. 2. Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quævisi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. 3. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: seu et omnium Dominus dilexit illam: 4. doctrinæ enim est disciplina Dei, et electricæ operum illius. 5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? 6. Si autem sensus operatur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex? 7. Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilis nihil est in vita hominibus. 8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat: scit versutias

sermonum, et dissolutiones argumentorum: signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. 10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis. 11. Et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me. 12. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermociante me plura, manus ori suo imponent. 13. Præterea habebo per hanc, immortalitatem: et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. 14. Disponam populos, et nationes mihi erunt subdita. 15. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudiue videbor bonus, et in bello fortis. 16. Intrans in domum meam, conquiescar cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiæ et gaudium. 17. Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognitione sapientiæ, 18. et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientiæ, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circumbam quærens, ut mihi illam assumerem. 19. Puer autem erdm ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. 20. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum. 21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adi Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis.

1. ATTINGIT ERGO A FINE USQUE AD FINEM FORTITER, ET DESPOSIT OMNIA SUAVITER. — Syrus, *extendit enim animam suam a finibus usque ad fines vere, et disponit cura omnibus suaviter*; Arabicus, *et extenditur a fine deserti, et usque ad finem eius feliciter, et gubernat omnia cum bonitate. Te ergo inuit hæc a præcedentibus pendere et educi. Græca habent δὲ, id est autem, prosequitur enim cepta sapientiæ elogia: hæc particule sæpe commutantur, nam δὲ, id est autem, sæpe capitur pro ὅ, id est ergo; et ὅ, sive ergo, sæpe non illativum est, sed inchoativum et continuativum sententiæ; unde S. Bernardus, Hugo, Pagninus et alii caput hoc octavum inchoant ab ultimis verbis cap. vii: « Sapientiam autem non vincit malitia; » Valabius vero et Cantacruenus omnia hæc referunt ad finem cap. vii, et cap. viii inchoant a vers. 2: « Hanc amavi, » etc. Sensus ergo est, *g. d. Sapientia, ut dixi cap. vii, est emanatio claritatis omnipotentis Dei, omnia penetrat, omnia capit, estque invincibilis; » attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, » etc.: pro attingit græce est δὲ, id est prolatum δὲ, extendit, porrigit; S. Augustinus, lib. IV De Trinit. cap. xiv, vertit pertendit; Tigurina, pertingit; Badensis in Comment. lingua græca legit δὲ, id est perspirat, unde Vatablus vertit, perspirat ab extremo usque ad extremum firmiter, et administrat omnia commode: sapientia enim est quasi spiritus perspirans omnia a fine usque ad finem, » græce δὲ ἀπὸ τῆς ἀκροῦς εἰς τὴν ἀκροῦς, id est ab extremo usque ad extremum. Quæres quoniam sint hæc duo extrema?**

Respondetur primo, esse duo extrema mundi, *g. d. Sapientia pervadit omnia a summo celorum usque ad imum terræ, puta a peripheria*

mundi usque ad centrum, sive « a convexo celorum usque ad medium terre centrum, » ait Hadrianus pontifex, lib. III De Imag., et, ut ait S. Bernardus, « a summo coelo usque ad inferiores partes terræ. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam et ubique præsentis fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat et administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate, nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed disponit omnia suaviter, placida voluntate, » Itensque S. Bernardus, tract. De Gratia et lib. arbitrii, post medium. Unde S. Augustinus, epist. 37 ad Nardianum, *Quæst. I, ex hoc loco probat sapientiam divinam, sive Deum, esse ubique; additque: « sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, et sine onere continens mundum. » Hoc profunde meditans et admirans S. Bernardus, lib. V De Consid., exclamat: « O sapientia potens attingens ubique fortiter! O potentia sapiens disponens omnia suaviter! Res una, effectus multiplex, operationes diversæ. Et illa una res est longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam. »*

Secundo, duo hæc extrema sunt nobilissima et vilissima creatura, *g. d. Sapientia ad infernum a summo et « maximo angelo usque ad infimum vermiculum, » ait S. Bernardus, De Gratia et lib. arbitrii, omnia conservans, vivificans, dirigens, gubernans; et S. Dionysius, cap. vii De Divin. nom., disputans de sapientia divina: « Ratio quoque,*

inquit, Deus dicitur in sanctis Litteris, non solum quia ratio, et sensus, et sapientiæ indulitor est; sed quia et omnium causas in se uniformiter ante complexus est; et quia per omnia pergit penetrans, ut scriptum est, usque ad omnium finem pertingens a summis substantiis usque ad imas, etc. Ideo et in omnibus Deus agnoscitur, et seorsum ab omnibus, et ex omnibus quidem, ut dixi, ipsa (sapientia Dei) noscenda est: et ipsa est juxta Scripturæ fidem effectrix omnium et semper cuncta coaplans, ipsiusque omnium, indissolubilis convenientiæ atque ordinis causa semper priorum fines subsequentium intus jungens, unamque mundi conspirationem et congruentiam decentissime moliens. »

Tertio, S. Bernardus, De Grat. et lib. arbitrii: « Sapientia attingit a fine usque ad finem, hoc est, inquit, ab ortu creaturæ ad finem, quem ei destinavit ipse, sive in quem urget natura, vel accelerat gratia, vel concedit causa. » Rursum attingit a principio operis sui (et cuiusque rei) usque ad finem, *g. d. Nihil inchoatum a se relinquit imperfectum, sed quocumque inchoat perficit, et constanter ad finem a se intentum perducit: duo enim sunt extrema operis, scilicet principium et finis. Ad S. Bernardum accedit S. Augustinus, lib. IV De Trin. xiv: « Diabolo, inquit, insidante et dispoite utitur ad salubrem fidelium suorum excellentissima, seu celsissima sapientia Dei, a fine superiore, quod est initium spiritualis creaturæ, usque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, persequens fortiter, et disponens omnia suaviter. »*

Allegorice, sapientia Dei attingit a fine ad finem in Christo, per incarnationem enim juncta sunt duo extrema, scilicet summum et imum, puta Deus et homo coeuntes in eandem hypostasim et personam: ita S. Augustinus, loco jam citato, et epist. 3 ad Volus.; opus enim incarnationis fuit opus summæ sapientiæ, summæ fortitudinis et potentie, summæ quoque suavitatis et misericordiæ, ut ostendit S. Thomas, III, part., Quæst. I, art. 1. Symbolice S. Bonaventura per duos fines accipit Patrem et Spiritum Sanctum: « Secunda persona, inquit, quæ dicitur Sapientia, attingit a Patre usque ad Spiritum Sanctum, per identitatem substantiæ: fortiter ob Patrem, cui attribuitur potentia; suaviter propter Spiritum Sanctum, cui bonitas. »

Tropologice S. Bernardus, De Grat. et lib. arbitrii, hæc adaptat libero arbitrio: « Sic ergo, ait, liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi, attingens et ipsum a fine usque ad finem fortiter, imperans scilicet singulari sensibus et artibus, tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, Rom. vi; et sic vindicat antiquam dignitatem et libertatem excussa servitute peccati; curæque hæc agere non minus suaviter, quam fortiter, hoc est, non ex tristitia aut necessitate, sed prompta et alacri voluntate: hilarem enim

dorem diligit Deus atque ita per omnia imitabitur sapientiam, dum et vilis resistit fortiter, et in conscientia requiescit suaviter. Verum ejus ad talia provocamur exemplo, indigemus auxilio. » Rursum idem S. Bernardus hæc adaptat charitati: sic enim scribit, serm. 30 in Cant. vers. 2: *Ordinavit in me charitatem: « O sapientia, inquit, quæ attingis a fine usque ad finem fortiter, in insituentibus et continendis rebus; et disponis omnia suaviter, in beatidis et ordinandis affectibus, dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit; et dispone, prout tua veritas æterna requirit. »*

Insuper idem S. Bernardus, serm. De Septem Virtutibus Spiritus Sancti, his hæc accommodat, sic enim ait: « Sapientia vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtute, et Dei sapientia Christus; attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, in celo quidem, deiciendo superbum; in mundo, superando malignum; in inferno, spolando avarum. Et disponit omnia suaviter: in celo stantes angelos confirmando; in mundo, venudatos redimendo; in inferno, captivos liberando. Aut si melius placet, accipiamus hoc modum: Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus performis; et primus contra negligentiam timor exurgit, nimirum ipse est, quo concutitur anima, disculitur conscientia, excutitur timor lethalis, incutitur sollicitudo; denique super Deum, nihil negligit, sed veretur omnia opera sua. » Et pluribus interjectis: « Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter sapientia victrix, eradicando singula vitia, singulasque inserendo virtutes; excutitur siquidem negligentia, ut timor spiritus repleat mentem; abijcitur curiositas, ut succedat pietas; experientia mali fugatur, apponiturque scientia. Sic et concupiscentiæ prævalet fortitudo, et consilium consuetudinem amputat, et intellectus vigens contemptum amovet, et desperante omnino malitia sapientia regnat. Quia quidem triumphante, de cetero miseram illam animam, quam perniciosa negligentia soporaverat, peccus excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contempsit in carcere traxerat malitia jugulariter: timor suscitatus, pietas blandæ demulcet, scientia quid actum sit indicans dolorem apponit, quod sum est fortitudo erigit, consilium solvit, intellectus educit de carcere, sapientia mensam ponit, refocilla esurientem, et salutaribus reparat alimentis. »

Denique idem S. Bernardus, De Grat. et lib. arbitrii, hæc adaptat Christo ejusque gratiæ, quæ omnes anime fines et vires peccato deformatas sibi conformando reformat: « Et revera, inquit, qui potius id operis congruebat, quam Dei Filio, qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, et unde reformaret deformem, et unde debilem confortaret, dum et de

dore figure fugans tenebras vitiorum redderet sapientem, et ex virtute verbi contra tyrannidem demonum potentem efficeret? Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium, quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat et formatum. Forma autem sapientia est, conformatio, ut faciat imago in corpore quod forma facit in orbe.»

Fortiter. — Græce, ἐπιβίαιος, id est valde, robuste, valenter, firmiter, animose, constanter; Vatablus, *penitus*. *ἰσο* enim, vel *ἰσώροισι*, idem est quod *robore*, valido, confirmo; unde *ῥῆμα* est *robur*, vis, potentia, sanitas, valentia. Inde et urbis Romæ nomen, quam Solinus initio *Polyhist.* Valentiam prius fuisse dictam Latinis tradit, licet alii Romam dicunt a *roma*, id est mamma lupæ, quam Remus, qui et Romus, ejusque frater Romulus surerunt. Noster Antonius Fernandes, in *Vision.* visione 6, censet esse metaphoram a communibus rerum mensuris, qui ad normam exigentes rerum magnitudines, que quibus locis continentur ante sciunt, ne qua sit in ipsa rerum dispositione perturbatio: attingit ergo Deus a fine usque ad finem fortiter, id est, exacta presentia metitur res omnes quid possit, quid exigant, unde et quousque sufficiant. Hinc vero sequitur quod disponat omnia suaviter, sibi invicem rebus et earum locis apprimè respondentibus. Attingit idem fortiter, quia ubi creature vires deficiunt, ipse sufficit, ut eo quo vult peringat. Rursum fortitudo sapientie, providentie et gratie Dei cernitur in hoc, quod ipse suam voluntatem certissime impleat, et finem intentum obtineat; suavitas vero in eo quod nostram libertatem non ledat, nec nature conditionem invertat: non enim cogit liberum arbitrium, sed suaviter alliciendo melleandoque ei bonum suadet et persuadet: ita Nyssenus, aut potius Nemesius, lib. VII *Philos.* cap. 1; Theodoretus, *Eptome divina decret.* cap. De *Providentia*, Damascenus, II *De Fide*, cap. xxx. Eadem suavitas cernitur in rebus naturalibus, nulli enim Deus vim affert, nihil contra cujusquam rei naturam facit, sed solum ut possit cujusque rei natura: est enim divina providentia (ut scribit S. Dionysius, cap. IV *De Divin. nom.* part. 4) «cujusque nature conservatrix, eis que per se moventur, et libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorumque natura capit, pro modo cujusque providentissimas donitates impartiens.» Ad hæc, divine providentie suavitas in eo se ostendit, quod per vietiorea ac faciliora media res ad suos fines deducat, ut patet intuitu omnia elementa et elementaria: ita S. Chrysostomus in *Math.* cap. II. Sic Paulus a Deo ignoto Atheniensium suspexit exordium disserendi de Deo vero et noto, *Actor.* XVII, 23, ut ibidem notat S. Chrysostomus. Insuper insuperabilis sapientie et providentie divine omnia gubernantis fortitudo in eo

elucet, quod rebus etiam summe contrariis ad destinatos providentie sue fines utatur, ut venditione Joseph ad ejus principatum, passione et cruce Christi ad ejus gloriam et hominum salutem, persecutione tyrannorum ad martyrium gloriam et triumphos, peccatis hominum ad ostendam suam, vel clementiam in condonanda, vel justitiam in puniendo: nam, ut sapienter æque ac eleganter ait Boetius, lib. IV *De Consol.* prosa 6: «Sola est divina vis, cui mala quoque bonis, cum eis completerent utendo alicujus boni effectum elicit: ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno providentie liceat temeritati.»

Sic cum Deus peccatorem a suis concupiscentiis adducit ad penitentiam, aut hominem vocat ad religionem, ad apostolatam, ad martyrium, etc., non facit id violenter, sed suaviter: inquit enim prius menti piis affectiones, velleitates, desideria penitentie, religionis, apostolatæ, martyrii, quibus homo illa aveat ambientque, ac postulet a Deo dicatque cum Saulo in actu ipso persecutionis, *Actor.* IX, 6: «Domine, quid me vis facere?» Id in se expertus S. Augustinus ita gratias agendo exsultat, lib. IX *Confess.* cap. 1: «Domine, ego servus tuus, et filius ancille tue. *Diripiisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, Psalm.* CXV, 16: laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant, *Psalm.* XXIV, 10: Domine, quis similis tibi? Dicant, et responde mihi, et dic anime mee: *Salus tua ego sum.*» Et post pauca: «Quam suave mihi subito factam est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere melius fuerat, jam dimittere gaudium erat: efficiebas enim eas a me, tu vera et summa suavitas, efficiebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini: omni hinc clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi sobolem libidinum, et garriebam tibi claritati mee, et divitiis meis, et saluti mee, Domine Deo meo.»

Et disponit omnia (græce, *ἰσῶροισι*, id est gubernant, administrat, dispensat, tuetur, disponit totum mundum, sicut paterfamilias domum: *domus* enim est domus; mundus autem est parva domus magni Dei, quam œconomice regit ut paterfamilias) SUAVITER, — græce *ἰσῶροισι*, id est, ut Pagninus, utiliter: Vatablus, *commode*; item *benigne, dulciter, suaviter*; unde christiani a gentilibus vocabantur *christiani*, quasi commodi, utiles, suaves: huc alludens S. Justinus, *Apolog.* II pro christianiis: «Christiani esse accensamur, inquit: at qui utile et commodum odisse, iniquum est;» Sapientia ergo Dei disponit omnia utiliter, commode, suaviter: quia, ut ait S. Augustinus, lib. VII *De Civit. Dei*, cap. xxx, «sic administrat cunctis

que creavit, ut etiam ipsa proprios (juxta formam sibi inditam) exercere et agere motus sinat,» imo jubet et efficiat: adeo ut nulla res in universo reperitur, que in eo non utiliter suo officio fungatur, et universo commoda sit, dum unaqueque res, quantumvis minima, fines sibi præstitutos a natura adipisci conetur. Efficit ergo est causa prima, puta Deus, sed sese attemperat causis secundis. Unde S. Dionysius, *De Divin. nom.* cap. V, part. 4, arguens eos qui dicebant oportuisse nos a Deo ad virtutem cogi: at qui, inquit, «non est providentie divine violare naturam, sed ea est nature ejusque conservatrix, eis que per se moventur, et libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorumque natura capit, pro modo cujusque providentissimam bonitatem impartiens,» etc.; et cap. VI ait: «Deum in Scriptura vocari *ἰσῶρος*, non solum quia rationis et mentis, sapientieque auctor est, sed etiam quia causans omnium uniformiter in se anticipat, et quoniam singula transeundo pervadit usque ad omnium finem, quemadmodum tradunt eloquia.»

Ergo, imo magis suaviter Dei sapientia, puta Christus, disponit et dispensat res supernaturales, ut patet in incarnatione ejusdem, passione et morte, de qua recte S. Bernardus, serm. 4 *In die S. Pasche*: «Vicit, inquit, plane sapientia malignam attingent. a fine usque ad finem fortiter, et suaviter universa disponens, sed pro me fortiter, suaviter mihi.» Et in Eucharistia: hæc enim est «cibus fortium et suavitas mentium;» unde typus ejus fuit manna habens omnem saporis suavitatem, juxta illud, *Psalm.* XXXI, 5: «Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est;» et illud, *Zachar.* IX, 17: «Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?» vide ibi dicta. Idem patet in donis et habitibus gratie creatis, hæc enim Deus homini infundit, ut per ea facile et suaviter operetur actus supernaturales, qui per se homini sunt difficiles, imo viribus nature impossibiles. Audi S. Thomam, II *Quæst.* CX, art. 2: Deus «creaturis naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quasdam, que sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus; et sic motus, quibus in Deo moventur, fiunt creaturis connaturalis et faciles, secundum, illud, *Sapient.* VIII, 11: *Et disponit omnia suaviter.* Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moventur ad bonum æternum consequendum; et sic donum gratie qualitas quedam est.» Eadem ratio

probat dandum esse habitum charitatis, II *Quæst.* XXXII, art. 2: habitus enim gratie et virtutum faciunt ut earum actus homini sint faciles, suaves et jucundi, ideoque eos homini Deus infundit.

Tropologicè hanc sapientie divine in gubernando universo ideam et formam imitentur reges, principes, prælati, rectores, etc., ut fortitudinem suavitate condant; unde nonnulli hoc sibi lemma sumpservit, *suaviter et fortiter*, fortitudo enim dat efficaciam gubernationi, suavitas facilitatem et durationem: nullum enim coactam et violentum est perpetuum. Quare in regendo timori miscendus est amor, si enim solus sit timor, ager homines, non ut homines, sed ut jumenta et bruta. Homines enim magis deumtur amore, quam timore, et amor non solum suavior, sed et fortior est timore: nam omnia vincit amor. Illic facit illud, *habundum imperium imperiosum*, quia quocumque blande imperat, fortiter impetrat. Rursum regimen suave æque ac forte et durabile poscit ut rectores sese accommodent subditorum ingenis, talentis, dotibus et propensionibus quoad fieri potest: nam

Nihil invita diēs facies Mineræ.

Sic sapientia Dei accommodat se conditioni causarum secundarum, dum cum necessariis necessario, cum contingentibus contingenter, cum liberis libere, cum audacibus audacter, cum timidis timide, cum infirmis infirme, cum validis valide concurret et operatur. Superior ergo imitatur Christum, qui fuit leo improbis et obstinatis, agnus vero probis et obsequentibus. Hoc documentum suis inculcavit noster S. Ignatius. Huc facit illud exp. XI, vers. 18: «Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicās, et cum magna reverentia disponis nos;» et illud *Psalm.* XXIV, 10: «Universæ viæ Domini, misericordiæ et veritatis;» unde S. Basilus, epist. 163 ad *Eustathium*, proficitur se experientia multarum tribulationum didicisse, quod Deus res nostras suavi sua providentia longe melius disponat, quam nos optare possimus: idem de seipso assertit S. Ephrem, tract. *De Sui repreh.*, ejus mirabilia providentie divine exemplum fusc recensuit Gen. cap. XLII, 18.

2. HANC AMAVI ET ENQUISIVI A JUVENUTE MEA, ET QUÆRSIVI SPONSAM MIHI EAR ASSUMERE, ET AMATOR FACTUS SUM FORMÆ ILLIUS, — græce *ἠγάπησα*, id est speciei et pulchritudinis illius; S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XLII legit, *quærsivi sponsam ducere mihi, et amor fui decoris ejus*; S. Ambrosius, lib. De *Vid.*, *proposui hanc adducere mihi in conjugium*; S. Hilarius in *Psalm.* CXXVII, *quærsivi sapientiam sponsam accipere mihi ipsi*; huc facit illud *Isa.* LXI, 10: «Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitie circumdedit me, quasi sponsam ornatum molibus suis.»

A JUVENUTE MEA. — A puero enim mater Salo-

monis et instillavit desiderium sapientiae, id est probe sanctaeque vite, ut patet *Proverb.* xxi, 1; praesertim cum, Davide patre defuncto, illi in regnum successi annum agens circiter 18: tunc enim ille videns hanc sapientiam requiri ad regendum tantum populum, eam a Deo postulavit et impetravit, *III Reg.* iii, 10. Significat veterem sapientiam amorem, ideoque profundum, radicatum et robustum: nam feminae quae sponsae viris tenens ab annis consensens, tenere diligenter solent; eoque teniori amore eorum si tenentur, quo a teniori aetate conjuges convixerit, adolascenscente amore cum aetate, et quo antiquior amor, eo major esse solet, nobilior, robustior et praesantior, instar arboris et vini, quibus veteritas conferit dignitatem, et veluti generis splendorem, gliscens in dies flamma ex consuetudine mutua, quasi ex fomito adjecto. Hinc illud, *Proverb.* v, 18: «Lectare cum muliere adolescentiae tuae, cervae charissima, et gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.»

Et QUAEVIS SPONSA. — Hinc opinatur Pinada, lib. *II De Rebus Salomonis*, cap. 1, sub finem, Salomonem ambisse sapientiam quasi sponsam, eamque a Deo impetrasse, antequam ambiret filiam Pharaonis, eamque sibi desponderet; verum hoc valde incertum est, praesertim quia lib. *III Reg.* iii, 1, prius narratur eum duxisse filiam Pharaonis, deinde vers. 10 subjungitur ejus oratio, et impetratio sapientiae. Adde Salomonem ante regnum inisse conjugium cum Naama, ex eaque genuisse Roboam: Roboam enim, agens 41 annum, patri Salomoni anno 40 regni morienti in regno successit, *III Reg.* xi, 43, et xiv, 21. Ergo uno anno ante regnum suum genuit eum Salomon. Sapientia igitur sponsam sese offert, non tantum virginibus, sed et conjugibus, iisque magis necessaria est ad regendum uxores, filios et familiam: ipsa enim est sponsa alterius et altioris ordinis, scilicet spiritualis, non carnalis.

SPONSA. — Graece *νεμενη*, id est *nympham*: ita graece dicitur sponsa, quasi *vix* vel *in speciebus*, id est *nove* vel *nunc apparet*, id est nova nupta, quae cum prius ut virgo se absconderet, iam nupta in publicum prodit, seseque palam ostendit, ita Rhodiginus, lib. XXI, cap. xxvi, ex Eustathio: ita Salomoni nova e caelo, velut sidus divinum illuxit et apparuit sapientia. Rursum *nymphas* antiqui aquarum deas esse putaverunt, quasi *lympharum* numina: veteres enim *nymphas* diocant, quam nos mutatione unius litterae *lympham*, id est aquam. Quandoque *nymphae* dicuntur musae, quod aqua currendo musicos sonos efficit; hinc *nymphae* perhibentur fuisse virgines purissimae: talis *nympha* et *musa* praee omnibus, imo sola ex omnibus est sapientia. *Nymphas* quoque dicuntur apes castae, cum primam formam cooperiri habere, teste Plinio, lib. XI, cap. vi: *avis celestis* est sapientia, fundens mel divinum.

Sponsa hebraice vocatur *כלה* *calla*, id est *perfecta*, consummata ab omni pulchritudine et ornatu, quo sponsae praee ceteris decorantur, praestant et amantur, adeo ut quasi regina coronis ornentur et coronentur: hinc graecum *καλός*, id est *pulchritudo*, quae pariter omnes in sui amore *καλός*, id est *vocat*, allicit et rapit, ut ait S. Dionysius *De Divin. nomin.* cap. iv. Quid pulchrius sapientia, quae est *calla*, id est *perfecta*, completa, suisque numeris omnibus absoluta, ut ne hilum desideres, sive animi, sive corporis dotes in sponsa consideres. Solent decem praee ceteris in sponsa dotes laudari et spectari, quas hoc versu et sequentibus ex ordine sapientiae attribuit Salomon: *prima* est, ut amor simul et veneratio sit; *secunda*, ut amenitate floreat; *tertia*, ut splendeat nobilitate generis; *quarta*, ut vigeat sapientiae dignitate; *quinta*, ut circumfluat divitiarum opulentia; *sexta*, ut praeminet sanctitate; *septima*, ut virtutum varietate distinguatur; *octava*, ut singulari prudentiae majestate nobilietur, *nona*, ut ingenii ac morum placida suavitate dulcescat; *decima*, ut philosophum, seu sapientem cupidum sui omnigena rerum varietate delectet. Atque has omnes dotes, quarum gustum aliquem in superioribus dedit, nunc Sapiens sponse attribuit, eam amabilem pariter et venerabilem docens, pulchram, nobilem, sapientem, divitem, sanctam, optimam, praeditam quadruplici virtute, eximie singulariterque prudentem, et cum qua in consortium adducta vita transigi possit omni suavitate et voluptate perfusa; quae suo ordine novem primis versiculis (exceptis quinto et sexto, qui divitiis dantur), atque singula singulis continentur. Quibus tantae sponsae dotes, atque omnis generis bonis inde profectis, quae mox describit, quasi adjectis igniculis inflammatum se juvenem, peneque puerum, illius desiderio asserit, ut eam intimis a Deo precibus efflagitaret et impetraret. Ita Cervantes.

Vox sponsa significat summum Salomonis erga sapientiam amorem, teneritudinem, desiderium et delectationem: rursus summam ultimamque, et secretam cum ea conjunctionem, conversationem, familiaritatem, unionem, ut cum ea fieri non caro una, sed spiritus unus, juxta illud *I Corinth.* vi, 17: «Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est;» et illud *Jerem.* iii, 4: «Amodo voca me: Pater meus, dux virginitalis mee tu es;» et illud *II Corinth.* xi, 2: «Respondi vos uno viro virginem castam exhibere Christo:» vide ibi dicta. Hinc S. Dionysius, cap. iv *De Divin. nomin.* ante finem, ait: «Amoris quam charitatis nomen esse divinius; scribit autem et D. Ignatius: Meus amor cruci affixus est; et in primis Scripturae sanctae institutionibus invenies quendam hanc dicentem de divina Sapientia: *Amator factus sum pulchritudinis ejus*:» hinc Dionysius; et inferius dicit amorem unire et facere castissimum: «Atque hoc amoris verbum, inquit, vim habet

faciendi unum, et colligandi praestantique modo res inter se miscendi, qua in pulchro et bono, propter pulchrum ac bonum ante constitit, atque ex bono ac pulchro pulchri bonique causa manat, continetque paria communi inter se conjunctione, et superiora ad inferiorum procuracionem impellit, inferioraque cum superioribus conversione corroborat. Dimovet etiam de statu divinus amor, nec suos esse amantes patitur, sed eorum etiam que amantur: quod declarat et superiora que inferiorum fiunt eis consulendo, et paria magna jam divino amore captus, praeditusque ejus vi, quo hominem e statu suo dimovet divino ore, *Galat.* ii, 20: *Vivo autem*, inquit, *jam non ego*: vivit vero in me Christus, ut verus amator, et a mentis, quemadmodum ipse ait, statu dimotus: Deo degit non suam vitam, sed amantis tanquam valde diligendam.»

Mythos haec omnia adaptes B. Virgini, quae est *calla*, hoc est perfectissima *musa musarum*, et *nympha nympharum*, praesertim colentibus, amantibus et invocantibus ipsam, quam proinde, ut alios omittam, sibi per anulum despondit S. Edmundus Cantuariensis episcopus: audi auctorem *Vite ejus*, cap. vi: «Utrum cura ejus (castitatis) conservanda major ei inesset, de consilio cupidus sacerdotis coram imagine perpetuae Virginis sanctissimae matris Dei, castitatis nuncupavit votum, et illi singulari et incomparabili Virgini se commendans, eam sibi sponsam delegit; atque ut fœdus cum illa initum prorsus firmum et stabile fore declararet, novo quodam modo eam anulo suo tanquam arrhabone sibi despondit, anulum illum, quem ea de causa fecerat, ejus imaginis digito infingens, in quo etiam inscripta erat angelica saluatio.» Fructum eximium subjicit: «Atque ex eo tempore, ut ipse in suo obitu confessus est, quoties illius clementissimae Virginis imploravit opem, illa in tentatione exitum, in persecutione solatium, in afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetravit. Habuit vero etiam in digito suo anulum, cum quo post mortem, ut solent pontifices, sepultus est, cui iidem cunctis admirantibus angelica saluatio insculpta fuit, ut beatissima virgo ipsam sponsum suum et habere et agnoscere dignaretur.» Exstat haec Vita apud Surium, die 20 novembris.

ET AMOR FACTUS SUM FORMAE ILLIUS. — Est haec secunda dos sponsae Salomonis, puta Sapientiae, scilicet forma et pulchritudo, quae magnum est amorem illiicium: de hac dictum est cap. vii, vers. 29, «est enim haec speciosior sole.» Loquitur de sapientia essentiali communi tribus personis, comitantem tamen de notionali quoque, puta de Christo, qui qua Deus, est imago, id est pulchritudo Patris, quae homo pulchritudo creaturae, juxta illud *Psal.* xlii, 3: «Speciosus forma

praee filiis hominum.» Idem a Salomone dicitur Plato et philosophi: Plato enim in *Phaedro* ait: Primum pulchrum omnia pulchra facit; pulchritudo autem hanc dignitatem habet, ut omnium rerum sit illustrissima, ideoque summe amabilis. Sapientiae vero forma, tanquam facies, si oculis cerneretur, mirabiles sui excitaret amores, imo ardores. Idem de virtute ait Cicero, lib. *I Offic.*: Aristoteles, quem citat Engubinus in *Psal.* xlii: «Deus, inquit, est potentia fortissima, vita immortalis, virtute optimus, pulchritudine speciosissimus:» vide S. Dionysium, cap. iv *De Divin. nomin.* pag. 1, et S. Augustinum, lib. *II Contra Academ.* cap. iii, et *I retract.*, ubi ait *quodammodo esse speciosum*, hoc est amorem sapientiae esse amorem pulchritudinis. Pulchre in haec verba pieque scribit Theophilus Alexandrinus, epist. *I Paschali*: «In sacris, inquit, voluminibus Scripturae, nivea membra sapientiae pressis figentes oculis, in ejus haeremus amplexibus, et si Dominus concesserit viventes cum ea, in illius perseverantes amore cantamus, *Sap. viii, 2: Amator fui pulchritudinis ejus*: quotquot enim Scripturas sanctas diligentius legunt, et per pacia sermonum caelestium prata discurrunt, haec beatitudine perfruunt,» etc. Vis exempla? accipe.

S. Agnes, praefecti Romani filium se ambientem respiciens, se illi desponsam dicebat, ejus pulchritudinem sol et luna mirantur: idem, si non verbis, certe reipsa dixere caeterae SS. virginis et martyres; unde illud S. Ignatii: «Amor meus crucifixus est,» ejus meminit S. Dionysius, cap. iv *De Divin. nomin.*, uti paulo ante dixi. Haec forma sapientiae illecltus S. Laurentius Justinianus, primus patriarcha Venetiarum, eam sibi in sponsam accepit annuum agens undevigesimum: sic enim ipse de se scribit in *Pascali. amoris*: «Eram vestri similis, quaerens aestuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inveniebam; tandem quaedam virgo sole splendidiore mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Haec propius accedens venusto vultu, placidoque affatu: O juvenis, ait, dilecte, cur effundis cor tuum, et pacem sectandam per multa variaris? quod quaeris penes me est; quod concupisti, tibi polliceor, si tamen me in sponsam habere volueris. Cum vero nomen ipsius, et gentis, et dignitatem scire peroptarem, se ait sapientiam Dei esse, quae propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensit igitur, et dato pacis osculo leta recessit.» Ita D. Henricus Suso, qui sub annum Domini 1330 doctrina, sanctitate et miraculis claruit, ac mirus sapientiae fuit amator, unde et *minister aeternae sapientiae* est cognominatus; cum haec Sapientiae verba: «Quaesivi enim mihi in sponsam assumere, et amator factus sum formae illius,» ad mensam legi audiret, tanto ejus amore exarsit, ut spiritaliter eum ac connubium contraxerit: audi auctorem *Vite ejus*, cap. iv: «Dum his flagrantem desiderii, sapientia tali schemate se illi visendam

prebuit: longe super ipsum ferebatur in columna nubis residens in throno eburneo, micans instar luciferi, et tanquam sol lucens in virtute sua; corona ejus erat aeternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis boni satisfactio. Prope erat et longe aberat, sublimis et humilis, presens et occulta; familiarem se prebebat, nec tamen apprehendi poterat; excelsis cœli fastigiis erat altior, et abyso profundior; attingebat a fine usque ad finem fortiter, et disponebat omnia suaviter. Dum elegantissimæ puellæ speciem teneri videbatur, mox pulcherrimi juvenis præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu arctum omnium peritissimam se prebebat amicam, canotis amabilem. Itaque dulcissimæ ad eum se convertens, et comiter non tamen sine divina quadam majestate illi arridens, benigne his cum verbis affata est, *Prov. XXII, 26: Præbe, fili, cor tuum mihi. Tum vero vestigiis illius advolutus, medullitus ac humillime illi gratias egit.* » Et nonnullis interjectis: « Interim nonnunquam animæ illius sese communicabat ipse propemodum totius boni fons et profluvium, in quo simul reperit quicquid pulchrum, amabile vel desiderabile esset; siquidem illi modo ineffabili existebat, hinc quædam contraxit consuetudinem, ut quoties cantiones amatoris dici vel cantari audisset, corde et animo ad suavissimam amicam suam, ex qua quicquid est amabile procedit, abstracto quodam intuitu sese confestim intro reciperet, sive introrsus reperiret. Neque sane dici possit quoties gratissimam illam amicam lacrymantibus oculis, et in immensum expanso cordis sinu circumplexus sit, et suo pectori suaviter adstrinxerit. »

Porro *amator* intellige per excellentiam: amor enim forme est ardens et violentus, ut videre est in amissis feminarum, qui earum amore dicuntur aguntque admiranda, ut stultescere et insanire videantur, ac patiantur quælibet dura, ut his potentur: nullo ardentior in Salomone et sanctis est sapientie et sanctitatis divine amor, juxta illud *Cant. viii, 6: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: »* hinc *1 Cor. xiii, 4: « Amor, aliquid ad hæc, id est Mars, quod amor sit martius, et polleat fortitudine martia, instar ferri edomet omnia, prelia quælibet non reformidet, sed ineat, dura quæcumque fortiter sustineat, vulnera infligat et suscipiat, juxta illud *Cant. ii, 5: « Amore languet: »* Symmachus, *vulnerata dilectione ego sum.* Studiosus ergo sapientie pro ea omnia difficilia capessat, et omnia dura generose sustineat.*

3. **GENEROSITATEM** (S. Hilarius in *Psalm. CXXII, veritè honestatem*, id est honorem, decus, prestantiam, nobilitatem) ILLIUS GLORIFICAT, CONTUBERNIUM HABENS DEI: SED ET OMNIBUS DOMINUS DILIXIT ILLAM. — Tertia post amabilitatem et pulchritudinem est hæc sapientie dos, scilicet nobilitas et generositas. *Et illius non est in Græco; unde sic aliqui explicant, q. d. Sapientia est generosa,*

ideoque generositate discipulis suis commendat, imo glorificat, id est miris laudibus et encomiis extollit, jubelque omnibus, ut sint animo non abjecto, vili et depresso, sed excelso, nobili et generoso, ac magna magno animo aggratiantur, ut ab heroicis operibus generosi et heroes esse ac nominari possint. Causa est, quod ipsa contubernium habeat Dei, id est Deo sit familiaris, cum eoque assidue conversetur: quare a Deo generoso discit generositatem, ut generosa et divina medietur et moliat; hinc et suis jubet assidue per orationem et meditationem versari et ambulare cum Deo, instar Henoch et Noe, ut ab eo discant terræna omnia caleare, ac cœlestia ambire, nec nisi divina cogitare, desiderare, operari: uti fecere omnes apostoli, martyres, sancti doctores, sanctæ virginis, etc. Unde S. Hieronymus: « Virtus, inquit, poscit animi robur sacerdotium, » imo herculeum; vim patitur, et violenter rapiunt illud, » *Math. xi, 12.* Huc facit illud Seneca, *epist. 111: « At ille qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiducia, inexsuperabilis et major adempti. Quod in magnis evenit motibus, quorum proceritas minus apparere longe intendibus: cum accesseris, tunc manifestum fit, quam in arduo summa sint. Talis est, mi Lucili, verus, et rebus, non artificis, philosophus. In edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis vere. Non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio staturam adjuvant, longioresque, quam sunt, videri volunt: contentus est magnitudine sua. Quidni contentus sit ac usque crevisse, quo manum fortuna non porrigit? Ergo et supra humana est, et par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuat per adversa ac difficilia. »*

Græca ad verbum sic habent, *τοῦ θεοῦ ἔσται ἡ σὺν ἑστίαν, quod primo, Jansenius sic vertit et explicat, sapientia putat esse nobilitatem habere convictum cum Deo: ἔσται enim tam putare, quam glorificare significat: unde dicitur tam opiniosam glorificare denotat; et participium ἔσται, id est habens, more græco ponitur pro infinitivo habere. Secundo, alii, q. d. Sapientia generositatem glorificat, hoc est nobilitatem, illustrat, puta familiam generosam et nobilem, illustriorem et gloriosorem reddit, ut patet in Platone, Aristotele, Cicerone, quos sapientia humana celebres et gloriosos effecit: multo magis id patet in SS. Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, S. Thoma Aquinate, ceterisque Ecclesie doctoribus, quos sapientia divina apud omnes gentes per omnia secula nobilitavit. Nobilitas enim generositas est externa, utpote excita ab avis et proavis; nobilitas vero sapientie et virtutis est interna et propria, utpote proprio labore et studio parva; unde Cicero gloriatur: « Ego, inquit, mea virtute meis majoribus præluxi. » Verum hos sensus ali-*

dit *et illius*, quod addidit Noster, et solerter in Græco subintelligit. Unde tertio, nonnulli *et illius* referunt ad studiosum sapientie; q. d. Sapientia sui studiosos, qui contubernium et conversationem habent cum Deo, velut nobiles et generosos glorificat, id est illustres et gloriosos reddit, uti reddidit Mosen, qui ex consortio Dei radios, et quasi cornua lucis faciei suæ affixa accepit, *Exod. xxxiv, 30.* Verum græce est femininum ἑστίαν, id est habens, quod proinde ad virum studiosum sapientie referri nequit: sic enim dicendum esset, masculino ἑσται. Quarto, alii *et illius* referunt ad *et formam*, quod præcessit, q. d. Sapientie formam sive pulchritudinem, que ipsius est decor, ornatus, nobilitas et generositas, illustrat et glorificat contubernium Dei: pulchritudo enim sapientie valde exornatur, ex eo quod ipsa habeat consortium et familiaritatem cum Deo; unde Arabibus vertit, *pulchritudo ejus nobilitas, concedens conjunctionem vel conjugium Dei; vice versa Syrus vertit, et gaudium, et laus, et gloria Dei in participatione ejus: conjuges enim se invicem amant et glorificant. Quinto et germane, et illius refer ad sapientiam, de qua omnis est hic sermo, q. d. Inde patet quanta sit sapientie generositas et nobilitas, quod scilicet ipsa habeat contubernium, vel, ut græce est, *συνέστιαν*, id est convictum, hoc est summam consuetudinem et familiaritatem cum Deo, cum eoque commoretur, colloquatur, sive, dissuavet, quodque Deus intime illam amet et diligat; generositatem ergo, id est nobilitatem, ejus illustrat et glorificat ipse convictus Dei. Aut, ut alii, q. d. Sapientia, habens contubernium seu convictum cum Deo, celebrat eum et glorificat tanquam summam generositatem et nobilitatem. Aut potius, q. d. Sapientie generosum genus nobilitate prospiciam, quod scilicet sit orta ex Deo, illustrat et glorificat, quod eadem velut contubernalis et sponsa Dei cum eo intime conversetur, convivat, in eodemque cum eo thalamo et mensa degat, velut ei par et equalis. Græcum enim *συνέστιαν*, id est convictus, tribui solet conjugibus, quorum jugis est convictus, summaque conversatio, par et equalis amor. Sapientia ergo induitur hic quasi una et simul sponsa Dei, ideoque duplihi hoc titulo nobilissima et illustrissima.*

Sic mystice B. Virgo glorificatur, quod ipsa sit genitrix, filia sponsa Dei, genitrix Dei Filii, filia Dei Patris, sponsa Spiritus Sancti: græcum enim ac latinum *generositas a genere generisque nobilitate nomen accepit, ut docet Tiraquellus, De Nobilitate, cap. ii, num. 47 et seq. nobilitas enim dicitur, quatenus nobilitas, vel notus ex genere, puta ex avis et atavis nobilibus, et ex virtute notis: sic S. Hilarius in *Psalm. CXXVII, ex hoc loco sapientiam nobilem sponsam appellat. Ipsa ergo est eugenia, id est nobilitas æque ac *συνέστιαν*, id est convivia et conjunx Dei: est enim integra nobilitas sapientie ipsa habeat tantam cum**

Deo consuetudinem, ut non solum ex eo sit orta, sed et cum eo conjunctissime vivat, eoque potitur familiariter, eoque sponsa sponso; et quod Deus vicissim eam intime diligat: ex utroque enim vera summaque nobilitas oritur, multi enim sunt filii et filie regum, que non in mensa parentum, sed a nutricibus aluntur; unde vix vident, vix norunt parentes, nihilque apud eos possunt. At sapientia illa est filia Dei, ut simul sit contubernalis et conviva Dei, jugiterque mensæ et thalamo ejus assideat; plurimum ergo apud eum potest. Est hic ingens stimulus ad sapientie studium, quod per eam fiamus generosi, nobiles, contubernales et familiares Dei, ac intime a Deo diligamur. Canonistarum sententia est nobiles, si fiant religiosi, perdere nobilitatem: utpote jam mundo et seculo mortuos; unde lib. V *Deoret.* titulo 34 *De purgator. canonica, cap. i Nobilitas*, Glossa ait: « Propter crimen perditur nomen dignitatis, sicut per monachatum amittit quis nobilitatem. » Verum recte Tiraquellus, lib. *De Nobilitate, cap. xxvi*, id explicat, ut per nobilitatem intelliguntur nobiles honores, tituli et ditiones, ut sunt regnum, ducatus, comitatus, baronatus: horum enim incapax est religiosus, per votum paupertatis; idem tamen servat prisinam nobilitatem, que sita est in jure sanguinis, quod scilicet progenatus sit ex parentibus nobilibus, comitibus, ducibus, regibus: hæc enim est indelebilis, utpote una cum natura in nativitate accepta. Religiosus ergo nobilitatem suam non amittit, sed alia diviniore auget et duplicat, unde ditiones et regna terræ contemmens, unique vacans Deo, illius fit familiaris et intimus, uti hic docet Sapiens.

Mystice S. Bonaventura, Glossa et Hugo: Filii Dei, inquit, qui est sapientia Patris, nobilitate et generositate habet ex suo genere et generatione, quod scilicet sit genitus a Deo Patre; unde idem habet contubernium, id est æqualitatem intimitateque conjunctionem cum Patre: illi enim est *ἐπίσταν*; et consubstantialis; unde tam suam, quam Patris genus glorificat, adeoque in omnibus Patris gloriam querit et propagare satagit, ideoque factus est homo, crucemque et mortem subit. Quare Deus Pater Filium qua Deum amat amore simpliciter infans; qua hominem, amore tanto, qui superat amorem omnium creaturarum simul sumptarum: nam humanitatem Christi assumpsit ad unionem hypostaticam cum Verbo, que est dignitas et gratia tanta, ut longe transcendat omnes dignitates et gratias omnibus creaturis communicatas, etiam unitas et simul sumptas. Christum secutus Paulus, magnus Dei Christianus amator et convictor: « Vivo, inquit, ego jam non ego: vivit vero in me Christus, » *Gal. ii, 20:* quare Deus illum præ ceteris dilexit, eumqueque glorie præconem et doctorem gentium effecit.

Symbolice, hæc facile adaptas B. Virginii, cujus nobilitas et generositas tanta fuit, ut ex ea genus duxerit, carnemque sumpserit ipse Dei Filius,

cum quo ipse corporaliter jugem habuit *conspirationem*, id est *conscientiam*, meruitque ipsam Dei sapientiam esse incarnatam jugiter videre et audire, ejusque ignitis sermonibus, velut amoris radiis accendi: de quo S. Bernardus, homil. 1 super Missas est: « Maria, ait, matrem se agnoscens, majestatem illam, qui angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* » Et mox: « *Et erat subditus illis, quis? quibus? Deus, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Josepho propter Mariam. Mirare sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem; utrinque stupor, utrinque miraculum, et quod Deus femine obtemperet, humilitas sine exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio.* » Quo etiam spectasse videtur S. Ildelonsus, serm. 1 De Assumptione, ubi cum plurima, quae de Parva Christo exhibit obsequia, numerasset, subiicit: « Ergo qui cuncta passit, celestia et terrestria simul regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit et nutrit; ad cuius deinde nutum universi reguntur, sub eius disciplina vel arbitrio infans Deus versatur; » et mox: « B. Virgo gladio passionis Christi vulnerata est in anima. O sanctissima omnium feminarum, quae cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris; et ecce hodie exaltatur apud eum quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in caelis. » Et S. Epiphanius, haeresi 78: « Erat, inquit, Maria affectatrix Jesu, cum ipso semper existens. » S. Augustinus item, lib. De Assumpt. (vel quisquis est auctor) cap. VII, tom. IX: « Absque dubio, inquit, omni opere ministratrix exstitit, quae huic in utero gessit, partuque profusum aluit et fovit, in praesepio reclinavit, et a facie Herodis in Aegyptum fugiens abscondit, et omnem infantiam ejus matris affectu ita prosecuta est, ut usque ad crucem, in qua filium jam virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitante ministerio non recesserit: consecuta non solum gressibus pedum, tanquam pro amore filii; verum etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Dei. Maria ergo ministra Christi spiritualium operum qualitatibus sicut devotissima exstitit, ita absque dubio religionis fide, et vera credulitate charitate secutrix fuit. » S. Bernardus, serm. cui titulus: *Signum magnum*: « Toties Maria filium audivit non modo turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis secretum regni Dei mysteria revelantem; vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem; vidit exspirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem. »

4. DOCTRINAE ENIM EST DISCIPLINAE DEI, ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS.— Pro doctrina graece est *didaxis*, id est *mystis*, hoc est secretorum Dei conscia et quasi secretaria, eorumdemque revelatrix et doctrix, quae scilicet novit arcanum Dei, et quibus vult ea revelat: rursum *mystis*, id est sacerdotissa et

initiatrice, quae scilicet alios sacris initiat, ac sacerdotes et prophetas (est enim ipsa prophetis aequae ac mystis) constituit, ut dixit cap. VII, 27: secreta enim, sacra praesertim, non nisi sacerdotibus creduntur et committuntur. Unde Vatablus vertit, *scientia Dei sacerdos est, et operum ejus antistes*; Nannius, *est enim sacerdos Dei, id est mysteriorum Dei conscia et cultrix*; Jansenius, *est enim arcanorum Dei perita*; Budæus, *initiatrice, dux, interpret*; Cantacruenus, *residens in consilio Dei, et penitus quae ad illum spectant noscens, juxta illud, Proverb. VIII, 12: « Ego sapientia habito in consilio, et eruditus intersum cogitationibus. »* Mirra enim vocatur mysteriorum conscius, qui ea velut arcanum celat, et non nisi dignis revelat, ita dicitur *ἀπὸ τοῦ πᾶν τὸ κρύπτει*, id est *ab obstringendo ore*, quod os habeat clausum et quasi observatum. Sicut ergo sacerdos et mystes mysteria celat, et quae divina sunt pro dignitate tractat, ita et sapientia, ac sapiens sapientiae beneficio initiatus, Deum digna colit et sancte tractat sancta; quin et alios ad hoc idoneos eadem docet, Deumque digne et sancto colere docet. Simili phrasi ait Celsus jurisconsultus: « Jus est ars boni et aequi, cuius merito nos quis sacerdotibus appellat: iustitiam namque oculimus, boni et aequi notitiam profitemur. » Ipsi autem sacra sunt; ergo ejus professores sunt quasi sacerdotes.

Dat causam ejus quod dixit: « Sed et omnium Dominus dilexit illam, » quia sapientia est quasi quaedam sacerdos, et mystica magistra sancta Dei disciplinae et scientiae, Deum hominibus declarat et manifestat: nam si, ut dicitur Daniel, cap. XII, 3: « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates, » quanto magis quae omnes erudit, et Dei amicos facit? ita a Castro. Rursum, q. d. Deus diligit sapientiam: nam ex eo quod eam amet, fecit eam suam mystin, id est mysteriorum omnium et secretorum consciam, juxta illud Christi, Joan. XI, 15: « Jam non dicam vos servos, etc., sed amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis: » summum enim amoris et amicitiae signum est, communicare alicui sua secreta. Ad hoc fecit eam suam mystin, vel mystida, id est doctricem suorum mysteriorum, ac antistitem suorum sacrorum, ac electricam operum suorum; profecti ergo eam tam doctrinae et sacris, quam operibus suis, ut quidquid illa eligit, hoc Deus operetur; quod illa negligit, hoc Deus pariter negligat et non operetur; utrumque autem summi amoris est indicium. Est haec quarta dos sponse nostrae, puta sapientiae, quod scilicet ipsa sit sacerdos et mystis, id est doctrix disciplinae, graece *μαρτυρία*, id est *scientia Dei*, quod scilicet instruat et doceat nos scientiam sanctorum, Deum cognoscamus, colamus, amemus ea fide, religione et pietate, qua tantam majestatem deest. Id praestitit Christus, qui est sapientia incarnata,

ac summus mystes, sacerdos, et pontifex in aeternum secundum ordinem Melchisedech; unde de illo ait S. Joannes, cap. 1, 18: « Deum nemo vidit unquam: unigenitus qui est in sinu Patris, ejusque inarravi; » qui proinde, Isai. IX, 6, vocatur *magni consilii angelus*, id est nuntius, juxta Septuaginta; unde et Christus, Joan. VII, 16: « Mea doctrina, inquit, non est mea, sed ejus qui me misit: » denique ipse novos mystas, novos sacerdotes, novos legis evangelice doctores, puta apostolos et discipulos, instituit, instruit, consecravit, ac per totum orbem misit et in dies mittit.

Symbolice noster Pineda, lib. III De Rebus Salomonis, cap. XXVI, num. 3, per sapientiam accipiens theologiam, haec alogia eidem adaptat: Theologia, inquit, theologum nobilitat, factique illustrem, primo, quia ipsa nobilitatem supremam inter omnes scientias obtinet; secundo, assidue conversatur cum Deo, de quo disserit; tertio, conscia est mysteriorum Dei; quarto, divina docet; quinto, tantum excellit scientias naturales, quantum sacerdos laicos; sexto, tam familiaris est Deo, quam huic sacerdos; septimo, quia Cantacruenus in id: *Itaque amavi, »* ex theologiae adytis et penetralibus, animam Salomonis confandisse ad hujusmodi amoris affilationem, » affirmat.

ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS.— Graece *ἤλεκτρα*, id est *electria*; pro quo Anastasius Nicenus in Sacra Script. Quest. LXXVIII (exstat tom. VI Biblioth. SS. Patrum), Cantacruenus et Budæus in Comment. *linguae graecae*, legunt *ἤλεκτρα*, id est *invenitrix operum illius*: sicut enim canis venaticus olfacit, et olfactu invenit capite leporem, sic sapientia solerter indagat, et invenit mille agendi operandique modos et rationes; unde Vatablus vertit, *antistes operum ejus*, q. d. Sapientia Dei, tum essentialis, tum notionalis, qua Pater aeternus produxit Filium, artificiose invenit omnia Dei opera: nam ad miram ejus inventionem pertinet ornatus, varietas, summaque pulchritudo operum Dei. Ipsa ergo, primo, quasi sagacitate quadam admiranda in nihilo olfacit, invenitque opera Dei, quae cum ipso extra nihilum produxit; secundo, tantam tanque mirabilem varietatem rerum commentatione et cogitatione advenit; tertio, veluti casu id fecit, hoc est citra laborem et fatigationem; quarto, quantum ad opera gratiae, id fecit inventionem crucis, Joan. IV, et sacramentorum, Eucharistiae praesertim, Joan. VI et XIII; ac sanctitatis animarum, quasi pulchrarum pretiosarumque margaritarum; item resurrectionis et exaltationis sui corporis veri et mystici, non sine labore, sudore, cruore, etc. Verum alii passim legunt *ἤλεκτρα*, id est *electrix*, q. d. Sapientia praest omnibus Deo operibus, quare ex variis quae sese offerunt, meliora seligit: licet enim duplex sapientiae quatenus prudentiam tangit, munus sit, scilicet, primo, per eubuliam, id est consultationem et consilium, inquirere et invenire; secundo, per synesin, id est iudicium, commodiora et meliora ex eis seligere,

teste Aristotele, VI Ethic. cap. v; tamen hoc illo potius et praestantius est, unde S. Hilarius in Psalm. CXXVII, vertit, *in labore utilium operum valida*, q. d. Sapientia in mediis ad finem utilibus eligit magis valida et efficacia; noster Pineda, lib. III De Rebus Salomonis, cap. III, num. 6, vertit *ponderatice*, q. d. Sapientia creaturas Dei pro dignitate tractat, eligit optima, negligit viliora: rursum exquisissima rationis fruitina, cuiusque merita atque dignitatem ponderat et examinat, ac cuique id quod exigit vel meretur, assignat: sic Christus ex tot millionibus hominum, ex mera gratia duodecim apostolos elegit, qui converterent totum orbem, sic et hodie eligit viros apostolicos ad infidelium et haereticorum conversionem, illisque gratias et dotes ad tantum opus necessarias vel opportunas liberaliter attribuit et assignat.

5. ET SI DIVITIAE APPETUNTUR IN VITA, QUID SAPIENTIA LOCUPLETUS, QUAE OPERATUR OMNIA? — Graece, *et si opes tantum appetibilis possessio in vita*, etc.: opes enim ab omnibus appetuntur ad victum et vestitum, et ad vitam honeste et splendide transigendam; ipse ergo sunt fulera et nervi vitae, haeculi et vitiumum vis: tanto ergo sunt in amore divitiarum, quanto quae earum subsidio praesente florēt, vigente praesentia absente vero languet, flaccescit, decedit vita. Sensus ergo est, q. d. Sapientia ipsa divitias operatur, et est quasi securitago auri, argenti et gemmarum; qui illam possederit, omnes divitias possidebit. Conferat sapientiam cum rebus omnibus, et ab ea doceat omnes, etsi praestantissimas, superari, quod illa sola habeat eorum omnium usum: ita a Castro. Est haec quinta dos sponsae, puta sapientiae, quod sit opulenta, opesque sapientiae afferat, ex eo quod « operatur omnia, » hoc est primo, quod sit opulenta, non deset et otiosa, suosque stimulet ad laborandum, nec sinat otiosi; labor autem parit opes, otium vero inopiai, juxta illud Proverb. X, 4: « Egrestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat. » Secundo, « operatur omnia, » id est, est prudens, solers, industria, officax in operando: scilicet enim omnia ea opera seligere, quae plus lucri afferant, nec desistit, donec lucrum, quod optat, assequatur. Tertio, « omnia operatur, » quae in mundo sunt, nimirum Deus et sapientia divina; ergo et opes, primum spirituales, deinde corporales, juxta illud Christi, Matth. VI, 33: « Quaerite primum regnum Dei, et si opes tantum appetibilis possessio in vita, etc. » vide dicta cap. VII, vers. 8 et seq., et Prov. VII, 18. Exemplo sit Salomon, cui Deus sapientiam postulanti eum a opestantas dedit, quantas nemo unquam regem habuit, II Paral. I, 12.

Hinc alchimistae censent Salomonem peritum fuisse artis chemicae, quae alia metalla in aurum transmutat, indeque tantae sibi parasse, illam artem Salomonis auro in usu fuisse colligunt ex illo Psalm. CXVIII, 119: « Praevicantes repu-

tavi omnes peccatores terræ; » ubi pro *prevaricantes* hebraice est *יַחַד סֵיִיָּם*, quod S. Hieronymus vertit *scortias*; Augustinus vero Nebesium episcopus vertit, *dehincas*. Verum errant, tum quia nulla est ars, que metalla possit in aurum, ejus forma est nobilissima, transmutare; tum quia eliamsi id posset prestare ars, tamen tantos ad id requirit sumptus, ut quicumque ea utatur, depauperantur, et ex opulentis fiant inopes. Spondan., in Extrav., lib. V De Crimine falso: « Spondan., inquit, quas non exhibent divitias pauperes alchimistæ; pariter qui se sapientes existimant, in foveam incidunt quam fecerunt. » Et nonnullis interjectis: « Alchimistæ verbis dissimulant falsitatem, ut tandem quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum, sophistica transmutatione confingant. » Hinc nonnulli artem chemicam vocant *chamcam*, id est inventam a Cham filio Noe impio, quem putant fuisse eundem cum Zoroastre mago: plura hæc de re vide apud nostrum Delrionem, lib. I *Disy. Magic.* cap. 7; Pererium, *De Magia*; Comibricenses, lib. II *Physic.* cap. vii; Piedem., lib. IV De *Rebus Salomon.* cap. xxi. Sapientia ergo alias verasque artes ut modos discendi docuit Salomonem, nunquam mittendo classes in Ophir, effodiendo aurum et argentum o venis terre ariferis, quas ipse sua sapientia deprehendit, indicendo vegetalia majora, agros et vineas foliis regi solvencia excolendo, mercimonia questuosa instituendo, atque omnibus ex rebus sagaciter captando lucrum.

6. SI AUTEM SENSUS OPERATUR, QUIS EORUM QUÆ SUNT, MAGIS QUAM ILLA EST ARTIFEX? — Græco, *εργαζομαι*, id est *opifex*, faber, artifex, qui artificiosa adinvenit et operatur. Pro sensus græce est, *επιστημη*, id est *prudentia*, intelligentia, industria. Jam primo, per *επιστημη*, sive *sensum*, aliqui accipiunt ipsam sapientiam; unde Vatablus vertit, *et si opifex omnium est sapientia, quid illa in rerum natura est artificiosius?* Secundo et potius, alii per *επιστημη*, id est *prudentiam*, vel *sensum*, accipiunt artem et industriam operandi, sic prudentia pro arte capitur *Exod. xxviii, 3*: ita Jansenius: Loquitur, inquit, de prudentia artificum et operatorum, cum qua comparat sapientiam Dei, docens eam magis esse industriam, quam prudentiam artis, q. 3. Si per artes mechanicas multa fiunt artificiose, quanto artificiosior est sapientia, que omnes artes adinvenit, et plures adinvenire potest? omnis enim ars, omnique industria manat a sapientia, ejusque est quasi pars, vel species, ut dixi cap. vii, 21. Inducitur hic sapientia ut sponsa: mire autem ornata sponsam, quod sit artificiosa, ac manibus elaborata opera magne artis et industrie, ut sunt aculpturæ et phrygonica, jusque conficiat pulcherrima et pretiosissima virorum ac mulierum ornamenta, juxta illud quod de muliere sapiente et strenua dicitur, *Proverb. xxxi, 13*:

« Operata est consilio manuum suarum. Manuum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fuscum. Stragulam vestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum ejus, etc.: ita a Castro, Lorinus, Jansenius, Cervanius et Pieda, lib. III De *Rebus Salomon.* cap. ut, num. 5, et alii. Sexta est sponsæ, puta sapientie, dos, scilicet quod mira sit artifex, omnia enim artificia et artificiosa opera sapientie divine, a qua humana dimanant, sunt ascribenda: quare ipsa esse inventrix et origo omnium artium. Loquitur tolo hoc capite, æque ac præcedenti, de sapientia abstracte et generice, quatenus ipsa idea est et effectrix omnium, tam naturalium, quam artificialium et moralium, ideoque artes omnes eque ac virtutes complectitur, uti superius monui, et idipsum hic loquens evincit.

7. ET SI JUSTITIAM QUIS DILIGIT, LABORES REBUS MAGNAS HABENT VIRTUTES: SOBRIETATEM ENIM ET PRUDENTIAM DOCEAT, ET JUSTITIAM, ET VIRTUTEM, CETEROS UTILIUS NIHIL EST IN VITA HOMINIS. — Græco est, *labores hogus sunt virtutes*; et ita legit Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.*; quod vero Clemens addit, *temperantia enim et prudentia docet justitiam et magni excelsique animi virtutem, quibus nihil est in vita hominibus utilius*, quod priorem partem dissonat a Græco et a Vulgata, ut patet intuenti, ac proinde mendoso S. Scripturæ codice usus videtur. Sensus est, q. d. Sapientia labor consistit in arduo, puta in exercenda, comparanda et agenda virtute qualibet, ac præsertim in agendo et patiendo dura et ardua, juxta illud: « Agere fortia romanum est, pati fortia christianum; » hinc *2petri, id est virtus*, alludit ad *2petri, id est Mars*, quod virtus sit *marta*, et fortes herocisque animos requirat. Ab arte transit ad prudentiam et virtutem, puta a factiva ad activam, doctique sapientiam esse matrem omnium virtutum, æque ac artium, que est septima dos sapientie. Nominat duntaxat quatuor virtutes principales, qua primo, quod sciam, a S. Ambrosio, lib. V in *Lucam*, vocatæ sunt *cardinales*, quasi *cardines* cæterarum omnium: omnes enim aliæ ad hæc quatuor, velut ad suos fontes et capita, revocantur, atque in his velut cardinibus honestas omnes nostra revolvitur. Justitiam ergo, que hic primo loco ponitur, generalem intellige, que est complexio virtutum omnium, cujus partes sive species primarie sunt sobrietas, prudentia, justitia specialis, et virtus, græco *δωδωζ*, id est *fortitudo*, quocirca ex hoc loco theologi colligunt quatuor esse virtutes cardinales, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, que subinde naturales sunt et per actus naturales acquisite, uti fuerit in philosophis; aliquando vero supernaturaliales, et a Deo in justificatione cum fide, spe et charitate fidelibus infusa, eo quod ad finem supernaturalem dirigantur, uti docet S. Thomas, I II, *Quæst. LXIII.* art. 3; imo concilium Tridentinum, sess. VI, cap. vii.

SOBRIETATES; — græco *σωφροσυνα*, que vox proprie temperantiam in usu tam cibi quam Venereis, cæterarumque voluptatum aliquo sensu sensitivum, indeque sapientiam et prudentiam significat (unde Interpres Anastasii Niceni, *Quæst. LXXXVIII in Script.*, vertit hoc loco sapientiam et prudentiam docet; sed arum apposita, ut patet): hæc enim parit temperantia, que proinde dicta est *σωφροσυνα*, quasi *σωφροσυνα εν επιστημη*, id est *serenitas prudentiam vel sapientiam*; unde et *σωφροσυνα* dicitur temperans, quasi *σωφροσυνα*, hoc est *causæ*, vel *causæ εν επιστημη*, id est *sanus mente*: temperantia enim est mentis sanitas. Ex adverso Euripides in *He-cubo*, teste Aristotele, II *Rhet.* cap. xxiv, apte dixit Venerem vocari *Αεραδωτην* quod *Αεραδωτην*, id est *insipientia et amentia*, sit parens. S. Augustinus, lib. I De *Moribus Eccles.* cap. xvi, legens, *sobrietatem sapientia docet*, per *sobrietatem* accipit veritatem contemplationis; sed merito idipsum retractat, lib. I *Retract.* cap. vii, ubi docet legendum esse, *sobrietatem et prudentiam docet*, uti habent Græca et Noster.

PRUDENTIAM, — *επιστημη* paulo ante vocavit artem, hic vero vocat prudentiam, que est antistes et auriga virtutum, ut aiebat S. Antonius, teste S. Athanasio in ejus *Vita*; quin et Socrates omnes virtutes vocabat *prudentialis*: vide Aristotelem, VI *Ethic.* cap. v et seq.; et S. Thomam, I II, *Quæst. LVII*, et II II, *Quæst. XLVII* et seq.

VIRTUTEM, — græco *δωδωζ*, id est *fortitudinem*, sive virilitatem, *ἀπο το σωδωζ*, id est a viro: fortitudo enim est virorum, non feminarum, ac virile requirit robur, quale inter feminas quoque præstiterit virgines. Fortitudo autem, partim est activa, qualis est militum, qui ardua in bello aggrediuntur; partim et potius passiva, qualis est patientium et martyrum, qui dura et atrocita est patientium et martyrum, qui dura et atrocita fortis et invicto animo sustinent; unde ejus partes potentiales vel integrales sunt fiducia, magnaanimas, securitas, magnificentia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, ait S. Thomas, II II, *Quæst. CXXIII* et seq., quem vide. Omittit hic Sapiens tres virtutes theologicas, fidem, spem, charitatem, quarum pariter mater est sapientia; unde ejus allusione S. Sophia, id est *sapientia*, mater et martyr, tribus filiabus suis harum trium virtutum nomina indidit vocavitque eas, Fidem, Spem, Charitatem, ac una cum eis nobile martyrium obditi, uti videre est in eorum *Vita*, que existat q. 1 Surium, 1 augusti. Omittit autem eas Sapiens, quia agit hic de virtutibus moralibus duntaxat, que consistunt in operibus et laboribus externis: hi enim sunt sapientie labores, qui, ut ipse ait hoc versu, « magnas habent virtutes: bonorum autem laborum gloriosius est fructus, » ut dixi cap. iii, vers. 13.

8. ET SI MULTITUDINEM (PERPERAM HUGO ET IDACIUS, LIB. III *Contra Varinadum*, legunt *similitudinem*) SCIENTIE DESIDERAT QUIS, SCIT PRÆTERITA, ET DE FUTURIS ÆSTIMAT: SCIT VERSUTIAS SERMONUM,

ET DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM: SIGNA ET MONSTRA SCIT ANTEQUAM FIANTE, ET EVENTUS MONSTRORUM ET SECULORUM. — Clare Vatablus ex Græco vertit, *si quis item multarum rerum peritiam desiderat, hæc antiqua novit, et futura conjectat: hæc sermonum strophas collet, et enigmatum explicaciones: signa et prodigia prævasgit, eventusque tempestivatum et temporum.* Contulit sapientiam cum artibus et virtutibus, iisque omnibus eam prætulit; nunc eam confert et præfert scientiis quibuslibet, imo illas omnes a sapientia eminenter contineri, ac nimiam sciendi curiositatem ab ea temperari asseverat. Est ergo hæc dos nona sapientia. Unde Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, citato toto hoc versu conc. dicit: « Vides fontem disciplinarum manare a sapientia. » Pro *multitudinem scientie*, græce est *πολυμαθια*, id est *multorum experientiam*; Vatablus, *multam peritiam*, hanc enim gignit experientia; unde Plato, lib. VII De *Legibus*, *πολυμαθια* et *επιστημη* quasi matrem et filiam associavit; et Sallustius in *Jugurtha* assertit nihil esse sapientius experientia: quocirca philosophi a rerum experientia coeperunt philosophari, et rerum causas indagare.

SCIT PRÆTERITA. — Græco, *επιτηρησια*, id est *antiqua*, q. d. Sapientia novit historias antiquas et diu præteritas: « historia enim est testis temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vite, nulla vetustatis, » ait Cicero, lib. II De *Oratore*; et S. Gregorius Nazianzenus ad *Nicenum*: « *Historia*, inquit, id est *conglobata quedam*, ac velut coacervata sapientia, hominum multorum mens in unum collecta. Neundum et securum est ex alienis eventibus, vel latis, vel tristibus, discere quid tibi in simili casu agendum sit. » Livius initio lib. I: « Salubre est, ait, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, ut inde tibi iusque reipublice, quod imiteris, capias. Inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod viles. » Quocirca Basiliius imperator ita prescribit Leoni filio, cap. LVI: « Per veteres, inquit, historias ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quod alii cum labore collegerunt; atque illinc haurias, et bonorum virtutes, et improborum vitia, varias humane vite mutationes, et rerum in ea conversiones, mundi hujus instabilitatem, et impiorum præcipites casus; et, ut verbo complectar, malorum facinorum penas, et honorum præmia, quorum illa fugies, ne in divine justitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmis, que ea comitantur, potiaris. »

DE FUTURIS ÆSTIMAT. — Græco, *επιτηρησια*, id est *assimilat*, comparat, conjectat, vivam formam exhibet, representat: ex præteritorum enim experientia, vel cognitione historica fit conjectura prudens de eventu futurorum: ita Canticæ. Prudentes enim comparando præterita similes eorum futuris, facile de eorum exitu conjiciunt: eorum enim formam et vivam imaginem representant præterita; unde Idacius, lib. III *Contra*